

Data Laterani per manum Iohannis sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis III. kal. febr., indictione XII, incarnationis dominice anno M̄CVI, pontificatus autem domini Paschalis pape II. quinto.

(B.)

5

9.

*Kaiser Heinrich IV. sucht bei dem König von Frankreich Hülfe nach und schildert die Treulosigkeit des Grafen Wiprecht.* [1106 März.]

*Gedr.: Sigeberti chronica in Mon. Germ. SS. 6,369 und Jaffé, Mon. Bamb. (ex cod. Udabici Babenberg.) 241.*

10 *Ann.: Der Brief ist geschrieben, als Heinrich IV., den Akt der Thronentsagung widerrufend, auf's Neue sich eine selbständige Stellung im Reiche zu schaffen versuchte. Vergl. v. Druffel, K. Heinrich IV. und seine Söhne 90, v. Giesebrecht, Kaiserzeit 3,1188 und Posse, Markgrafen von Meissen 254 Anm. 136 und Cod. Sax. I. 1, 136.*

— — In illis penitentie et tribulationis mee diebus a filio meo missus venit ad me quidam principum Wipertus dicens nullum vite mee esse consilium, nisi sine ulla contradictione omnia regni insignia redderem ex voluntate et imperio principum. At ego, 15 et si omnis terra, quantum inhabitatur, regni mei terminus esset, nolens vitam regno commutare, quia vellem nollem sic agendum et sic definitum intelligebam, coronam, sceptrum, crucem, lanceam et gladium misi Moguntiam. Tunc communicato consilio cum inimicis meis egrediens filius meus relictis ibidem fidelibus et amicis nostris quasi me eo adducturus sub multa frequentia et custodia armatorum suorum eductum ad villam, que Ingelheim 20 vocatur, me fecit ad se adduci. Ubi maximam inimicorum meorum turbam collectam inveni nec ipsum filium ceteris michi meliorem repperi. Et quia firmiter et stabiliter videbatur eis esse, si propria manu cogerent me regnum et omnia regalia exfestucare, simili modo et ipsi omnes minabantur michi, nisi omnia imperata facerem, nullum vite mee consultum posse fieri. Tunc ego: ‚Quia‘, inquam, ‚de sola vita mea agitur, qua nichil preciosius habeo, ut saltem vivens penitentiam meam exhibeam deo, quicquid imperatis, ecce facio‘. Cumque inquirerem, si saltem sic de vita mea certus et securus esse deberem, eiusdem apostolice sedis legatus, qui ibidem aderat, non dico, qui hec omnia ordinaverat, respondit me nullo modo eripi posse, nisi publice confiterer, me iniuste Hildebrandum 30 persecutum fuisse, Wicpertum iniuste ei superposuisse et iniustam persecutionem in apostolicam sedem et omnem ecclesiam hactenus exercuisse. Tunc cum maxima animi contritione humi prostratus cepi per deum, per ipsam iusticiam orare, ut locus et tempus mihi daretur, ubi in presentia omnium principum, unde innocens essem, ex iudicio omnium me expurgarem et, in quo culpabilem me esse recognoscerem, ex consilio omnium sanioris sententie penitentiam et satisfactionem, quo ordine iuberent, quererem et inde principibus 35 regni de fidelibus nostris, quoscunque vellent, obsides darem. At ille idem legatus diem et locum mihi abnegavit, dicens aut ibi debere totum determinari, aut nulla spes esset mihi evadendi. In tante tribulationis articulo cum interrogarem, si confiterer omnia, que imperabantur, an confessio mea, ut iustum est, veniam et absolutionem consequeretur, idem legatus respondit, non esse iuris sui me absolvere. Et cum ego ad hoc dicerem: ‚Quicunque confitentem audet recipere, confessum debet absolvere‘, si vellem, inquit, absolvi, 40 Romam irem satisfacere apostolice sedi. — —